

discurrerent *** et cum eorum sequacibus ad Capitolium accederent et illud caperent et denum ad pallacium sanctissimi d[omini] n[ostri] pape ad petendum, ut cum eis unum prelatum mitteret, qui una secum per civitatem clamando: vivat libertas [iret], accederent. * Tercio, quod primo cum dictis eius sequacibus ad prefatum pallacium s[anctissimi] d[omini] n[ostri] pape de mane in die festivitatis Epiphanie, in qua ipse s[anctissimus] d[ominus] n[oster] papa in ecclesia sancti Petri celebrare deberet, accederet et prefatum s[anctissimum] d[ominum] n[ost]rum papam cum suis cardinalibus et prelatis caperet et sic libertatem et quicquid aliud volebat, obtineret, et quod pro tunc eisdem rem istam aliter non explanavit, et quod omnes supra prenominati et alii tunc astantes hoc facinus laudarunt et se [ad] amicos suos requirendos obtulerunt, excepto dicto Gregorio, qui se ad operandum armis impotentem asser [u]it, sed prestaturum arma, quae poterat, obtulit, prout preceperat ei misit.

Item dixit, quod dictus Iacobus Lelli ipsi domino Steph[ano] in dicta domo dicti domini Angeli die iovis proxime preterita,¹ qualiter ipse locutus fuerat de hac materia cum domino Stephano Mancini, et quod prima vice consenserat et deinde se penituerat, et dum ipsum pro armis requireret, licet illa primo sibi promississet, tum demum dixit, quod illa propter emergentes causas in domo retinere volebat. Item quod fuerat locutus cum magistro Petro de Monterotundo² medico non aperiendo sibi materiam et quod ipsum requisivit cum XV armatis secum causa se de quodam eius inimico vindicandi et quod ipse magister Petrus assensit et dictos XV armatos statim venire fecit et cum ipse Iacobus ad ipsum magistrum Petrum redivisset ad sciendum an dicti armati venissent, idem magister Petrus respondit, quod venerunt, sed illos remisit et quod tunc ipse Iacobus ipsum magistrum Petrum reprehendit et sibi materiam pandit et ipsum, ut pro dictis armatis remitteret, requisivit, et quod idem magister Pe[trus] tunc respondit, quod erat familiaris et medicus s[anctissimi] d[omini] n[ostri] pape et nolebat de hoc se cum persona impedire, ** sed quod ad Montem Rotundum accederet et dictos armatos in tempore transmitteret. Item quod fuerat locutus domino Iacobo de Reatis, qui sibi responderat, quod equitare necessario habebat, sed quod in tempore cum aliquibus eius sociis rediret et paratus esset. Item quod *** fuerat locutus tam cum Petro Paulo Stephanucie et Raucie Castine † quam cum similibus aliis suis amicis, qui se promptos et paratos cum eorum sociis obtulerant tempore opportuno.

Item dixit idem Steph[anus], quod die veneris rediit ad eius domum ante diem et quod ibidem de die vidit, quod erant ultra septuaginta apti iuvenes ultra supra nominatos, inter quos dixit se solum cognovisse filium Petri Pauli de Cavaleri et filium Anthonii Quadracii.

* Nel cod. : « accideret » ** Nel cod. seguita anche la parola : « et dictos armatos », che però sono levate dal correttore mediante punti. *** Erroneamente cancellato nel codice. [O « Quatuor »]

¹ 4 gennaio.

² Cfr. PERLBACH 23, LERNERST 71.